

partes estis. Quid proinde singulis accidere potest, quod universos non afficiat, neque ad unumquemque promanet? Quemadmodum itaque nihil potest peculiarem cujusque Vestram vigilantiam exposcere, quod Nostri item curis comprehendi, ad Nosque referri non debeat, irâ arbitrari debetis magnoperè vestrâ interesse, quidquid ad Nos pertinet, Nostriamque operam ac diligentiam desiderat. Quapropter unâ voluntatum consensione conjuncti, uno eodemque animati spiritu, qui à Mystico illo Capite profluens, ac per universâ membra diffusus vitam omnibus dispertit, contendere omnes, ac dare operam præsertim debemus, ut Ecclesiæ Corpus integrum atque incolume sit, ut, nullâ rugâ ac maculâ contractâ, omni Christianæ virtutis laude instruat ac vigeat. Quod quidem Divinâ ope præstari à Nobis poterit, si pro virili suâ quisque commissi sibi Gregis studio exardescet, si illa unâ singulis insidebit cura Populi sui ab omni malorum contagione atque errorum insidiis removendi, ac omnibus doctrinæ, sanctitatique subsidiis diligentissimè muniendi.

Hujusmodi Animarum salutis cupiditate si unquam eos, qui tuendæ Vineæ Domini præsumunt, excitatos esse oportuit, hoc præsertim tempore illos inflammari est pernecessarium. Quando enim tam multiplices, tam noxias, sive ad labefactandam, sive ad tollendam Religionem exoriri ferè quotidie, ac circumferri opiniones, quando novitatis illecebri magis inductos homines, & quâdam peregrinæ scientiæ aviditate ad hanc confluere, atque eandem libentissimè conquirere vidimus. Unde animarū pestem & perniciem extendi latius in dies, ac miserrimè propagari dolemus. Quare eò acriùs Vobis erit laborandum, Venerabiles Fratres! omnesque vel diligentia, vel auctoritatis vires exerendæ, ut hanc tantam, ac de Divinis etiam, & sanctissimis rebus grassantem temeritatem atque insaniam repellatis. Non in corruptibilibus ac vanis humanæ sapientiæ præfidiis, sed in simplicitate doctrinæ, ac in Verbo Dei penetrabiliore omni gladio ancipiti dumtaxat Vos illud consecuturos confidite. Tum hostium impetus coercere faciliè poteritis, atque adversariorum tela retundere, cum in omnibus sermonibus vestris JESUM CHRISTUM CRUCIFIXUM præferetis ac prædicabitis.